



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Habita Romæ synodo ob eam causam, adfuit Hilarius, contenditque
retractari non posse judicia Conciliorum provincialum quæ concordibus
Episcoporum suffragiis decreta erant. Absolutus est ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

seculari administratione perfunditum capitali aliquos condemnasse sententia. Manifestum erat Chelidonium non posse esse Episcopum, si ista vera erant. Itaque Hilarius coacta munere suo synodo, cum accusatio testimoniis confirmata fuisset, Chelidonium monuit ut sententiam in se ipse diceret, neve expetare vellere episcopale judicium; nolentem verò obsequi canonum dispositioni dejectum à fede episcopali, ut docent sanctus Leo & vetus codex M S. monasterij Iurenſis à Chiffletio laudatus. Chelidonium verò, qui fortassis sciebat suspectam Leoni esse effusam illam Hilarij potentiam, Romanum se contulit, ibique se injusto judicio dejectum esse conqueritus est apud Summum Pontificem.

V. Sciens ista Hilarius, Chelidonium se-
cucus est , non ambitioso comitatu septus,
nullis impedimentis, non rheda non equo ve-
ctus ; sed ingressus iter pedibus , in equum
omnino non ascendit ; ut vel hinc colligi
posset nihil intra Gallias ab eo præsumptum
esse amore gloriae, sed studio tantum tuenda
dignitatis Ecclesie Arelatensis. Romæ pos-
itus, primum Apostolorum ac Martyrum me-
morias invisit, deinde Leonem , cum reveren-
tia impendens obsequium , & cum humilitate de-
poscens ut Ecclesiæ statum more solito ordina-
ret, adstruens aliquos apud Gallias publicam me-
rito excepsisse sententiam & in Urbe sacris alta-
ribus in eressè. Venisse se , non tanquam ac-
cusatorem , nec ut causam diceret, sed ut ju-
dicium sub præfentia sua factum familiari
apud Leonem suggestione five sermone do-
ceret legitimum fuisse , ne qua fraus ei subri-
peret. se ad officia non ad causam venisse ; prote-
stanti ordine , non accusandi , que sunt alia sug-
gerere. Addidit verba qua haud dubiè Leoni
visa sunt plena contumacia , nimirum non
toleraturum se ut sententia adversus Cheli-
donium lata retractaretur. Nam his verbis
apertè ostendere videbatur non passurum se
causas concordibus Episcoporum suffragiis
definitas in provinciis Gallicanis rursum judi-
dicari apud apostolicam sedem , & si Cheli-
donius absolveretur à Synodo Romana post
dejectionem suam , non ramen habiturum se
illum pro Episcopo, neque communionem ei
suam impertiturum. Vnde illa Leonis quere-
la , Hilarium Ecclesiæ statum & concordiam
Sacerdotum novis præsumptionibus
turbavisse , & sic Gallicanos Episcopos suæ
cupiisse subdere potestati ut se beato Petro
Apostolo non pateretur esse subjectum , cu-
jus reverentiam verbis arrogantioribus mi-
nuerat. Nam hæc sunt ipsa Leonis verba,
digna profectio qua referantur , cùm ex his
colligi possit quantus fuerit in hac causa Leo-
nis dolor. Sed hunc tramitem semper interma-

jores nostros & bene tentum & salubriter constitutum Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis presumptionibus turbatus excessit, ita sue vos cupiens subdere potestatis ut se beato Apostolo Petronon patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem, ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arroganteribus minuendo.

V I. Congregata synodo ob eam causam,
ad eamque vocatus Hilarius, adfuit quidem,
sed ea mente, quemadmodum colligitur ex
epistola Leonis, ut non fineret judicium
suum retractari, multa haud dubie prolocu-
tus de supra dicta auctoritate Conciliorum
provincialium, quæ retractari nullo modo
possent si nihil dubietatis aut controversia
emersisset inter Episcopos judices, adeoque
Chelidonij causam, quæ concordi Gallica-
norum Episcoporum decreto judicata fue-
rat, in Romana synodo retractari non posse.
Hic est enim, ut ego arbitror, sensus verbo-
rum Leonis, dum ait Hilarium, cum nihil
rationabile haberet quod in Concilio Sacer-
dotum respondere posset, in ea verba eru-
pisse quæ nullus laicorum dicere, nullus Sa-
cerdotum posset audire. Hic est tumor men-
tis quem Pontifex Hilario objicit. Absolutus
itaque est in Romana synodo Chelidonius,
non tamen ab Hilario susceptus, qui ejus
communioni conjungi nullatenus adque-
vit, ut docet eius vita auctor.

VII. In eodem Concilio Romano nova
adversus Hilarium proposita querela est,
quod Projecto videlicet Episcopo infirmo &
neficiente alium superposuisse Episcopum,
invitis civibus, idque in aliena provincia. Ac-
ceperat Leo literas à Projecto, quibus dol-
orem suum testabatur, itemque epistolam ci-
vium, ipsius Projecti & numerosa singulo-
rum subscriptione firmatam, invidiissimum
contra Hilarium querimonii plenam, quod
Projecto Episcopo suo egrotare liberum non fu-
set, ejusque sacerdotium in aliis præter suam
notitiam esse translatum, & tanquam in vacuan-
te possessionem ab Hilario per vasore heredem viven-
tis inductum.

VIII. Tertia adversus Hilarium profita quærela est, quod videlicet militaris cum manus per provincias sequeretur, illum vero armati praefidij presumptio suffultum invadere per tumultum Ecclesiæ quæ proprios amiserint Sacerdotes, ac sic officij publici ministerio ignotos invitatis populis Episcopos dari. Testatur istud Leo in eadem epistola, & legitur etiam in Novella constitutione Valentiniæ III. lata pro confirmando isto Leonis adversus Hilarium judicio. Sic enim loquitur